



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli**

**Viegas, Brás**

**Parisiis, 1615**

Vtrum eadem animalia Ioanni hoc loco, & Ezechieli, capite primo fuerint ostensa. Sectio XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39261**

Utrum eadem animalia Ioanni hoc loco, & Ezechieli, capite primo fuerint ostensa.

SECTIO XII.

**D**iversam fuisse utramque animalium visionem existimavit Clarius Isidorus I Brixianus suis scholijs super Ezechielem cap. 1. potestque ea sententia confirmari. Primum, quia unum quodque animalium Ezechielis quatuor habebat facies, Ioannis autem animalia singula singulas. Deinde quia animalia Ezechielis quaternis alis constabant, Ioannis senis. Adhæc, quia animalia Ioannis dicuntur plena oculis antè, retrò, & intùs, quod Ezech. cap. 1. de suis non dixit. Postremò, quia apud Ezechielem, primum animal habet faciem hominis. Secundum, leonis. Tertium, bouis. Quartum, aquilæ: cum longè alium ordinem seruent animalia Ioannis. Primum enim locum obtinet leo, secundum vitulus, tertium homo, aquila postremum.

Cæterùm communis sententia, quæ vel eo ipso magis nobis probari debet, est, eadem animalia tam Ezechieli, quam Ioanni, per visum apparuisse, sic enim sentiunt D. Hierony. proëmio in Matthæum, D. Thomas, Rupertus, Richardus de S. Victore, Ansbertus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus in hunc locum, Glossa ordinaria in primum caput Ezechielis, Abulensis tomo 1. in Matthæum in 3. prologo super quatuor Euangelia. Prima ratio prioris sententiæ facile soluitur, eo animaduërso, quamvis Ezechielis animalia quatuor facies haberent, unam tamen in singulis fuisse præcipuam, à qua denominationem fuebant, quod Ezechiel ipse significauit, dum in animalibus nominandis singulas facies singulis tribuit: quàm eandem ob causam, eæ soli Ioanni apparuerunt, vel si quaternæ in singulis etiam illi fuerunt ostensæ, præcipuarum sibi duntaxat rationem habendam existimauit, quippe quæ sola ad eius institutum pertinerent. Ad secundam respondemus, additas esse in visione Ioannis binas alas singulis animalibus, mysterij causa, ad maiorem videlicet rerum diuinarum cognitionem, quæ per alas exprimitur, vt supra diximus, declarandam, quæ noui testamenti Patribus tributa fuit. Ad tertiam dicimus etiam Ezechielis animalia plena oculis fuisse quemadmodum idem testatur cap. 10. vbi iterum visionem commemorat. Ad quartam denique dicendum est, mysterij etiam causa animalium ordinem fuisse mutatum, quia vt vult Ansbertus, mundus in Christum credidit, non quia natus fuit vt homo: non quia passus vt vitulus: sed quia resurrexit vt leo, iuxta illud Pauli 1. ad Cor. 15. *si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra*: Inde est quod Ioannes, qui propter prædicationem resurrectionis vidit conuersionem mundi futuram, primo loco faciem leonis posuit: quia quamvis primus sit in ordine homo, sed primus est in virtute leo: quod videtur indicasse Paulus cum dixit 2. ad Cor. 5. *Et si noueramus Christum secundum carnem, sed iam nunc non nouimus*, ac si diceret, non iam in homine, & vitulo, moriturum Christum credimus, sed post mortem surrexisse leonem hostibus quidem terribilem, sed cum suis in æternum regnaturum confitemur.

*Quot alis constarent Ezechielu, et Ioannis animalia.*  
*II.*  
*Eadem animalia Ezechielu et Ioan. ostensa.*  
*D. Hieron.*  
*D. Thom.*  
*Rupert.*  
*Rich. Vict.*  
*Ansbert.*  
*Hugo Card.*  
*Dion. Carth.*  
*Glossa.*  
*Abul.*  
*In singulis Ezech. animalibus vna fuit præcipua facies.*  
*Quorsum binae alas haberent Ioannis, quàm Ezech. animalia.*  
*Item eorundem animalium ordinem quo mysterio mutatus.*  
*Ansbertus.*  
*1. Cor. 15. 14.*  
*2. Cor. 5.*